



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

VI. De Ministrorum habitu: & quali in primitiva Ecclesia sacrorum ministri
vsi sint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

hominum, aiunt esse, aqua benedicta se aspergere crucis signo se signare, ingenua se demittere? & ut paucis dicam, exterius aliquo actu tam fidem quam reuerentiam erga Deum testatam facere. omnia ista idololatriam sperere. Sed quid dicitis, impuri homines? Ergo qui in primitiua vixerunt Ecclesia hosque sanctos ac religiosos ritus ac ceremonias nobis tradiderunt, idololatriæ ferunt? Accusate ergo Deum, qui per prophetam conqueritur, se non tanto externo honore coli quanto terreni Principes: quibus plerique quod optimum habeat offerunt. Accusate Psalmistam, qui vult ut caro sua omniaque externa in se non minus in Deo exsultent, quam ipsum cor atque interni affectus. Accusate denique S. Paullum Apostolum, qui Confessionem, quæ certe externo actu sit salutem attribuit.

V. Interea dum Minister vel expectatur, vel ad concionem se præparat, sutor aliquis vel sartor, modo legendi peritus, suggestum ascendit, & caput aliquod ex Biblijs, aut si Minister nullus veniat, integram homiliam ex Galvini scriptis recitat. Sed hic abusus Synodi ad Castellum Eraldi Anno M. DXCVII. celebratæ decreto sublatus est, ne Galvini scripta Verbo Dei substituta viderentur, tum præcipue ne Ministerium, ut ita dicam, evacuaretur, populo lectoribus ac sermonibus iam dudum magno numero proculsus contento & sumtus in Ministerium, superfluos iudicante: quum nullus fere sit qui melius quid afferre possit quam ibi scriptum est. Quia vero anagnostæ illi ut plurimum illiterati sunt, facile cogitari potest quam scita eiusmodi, quibus affectibus picta, quaque vocis articulatione distincta sit lectio. Unde læpe fit, ut etiam a pueris adhuc balbutientibus corrigantur. Hominem novi Janacensis toparchæ accipitarium, qui absente aut ægrotante Fluraco Ministro, seposito pauliper venatico iuo apparatu, suggestum conscendere, & ad populum (Diaconi enim munere fungebatur) verba facere solebat. Neque est ut quorundam è nostris inscitiam nobis hic obijciant, quam sane in plerisque ipsorum, etiam ijs locis ubi maxime doctis hominibus opus erat, maiorem demonstrare possumus. Ac profecto non iniuria aliquid magis exquisitum ac perfectum à Nova ista ac recenti adhuc Religione requiri possit: quum experientia constet, temporis longinquitate rerum omnium vigorem minui, ac paulatim consumi: quum recentia & speciem habeant multo gratiorem, & vires maiores. At con-

tra in nova hac religione fieri videmus: quæ ubi vix lucem aspexit, nocte rursus involvitur; vix è terra prorupit, arque iterum in cavernas eiusdem se abscondit, vix caput extulit, ac rursus demittit, vix denique nata statim debaluit.

VI. Adveniens Minister, Diaconi vel Lectoris locum occupat: quo descendente, ille in suggestum ascendit, laicali habitu aut quicumque maxime ipsi placet, indutus. Favius, qui Margaritæ Henrici V. sorori à concionibus fuit, etiam dum concionaretur, gladium è latere pendente semper habuit, pallio nonnunquam carulei vel violacei, thorace flavi coloris vestitus. Fuit inter hos Ministros, qui defixi in terram gladij capulo tamquam suggestui innitens, in horto concionatus est. Non raro accidit ut ocreis ac calcaribus indutū suggestum conscendat: quod forte tum excusari poterat, quum velut expeditione facta, huc illuc animas prædatum circumvolitabant: postquam vero gladij libertate conscientiarum libertas parta est, animi dissoluti iudicium videtur. Contonderius Minister in Turonibus veste militari indutus, gladiumque ac pugionem utroque latere accinctus, concionari visus est eoque nomine à paullo modestioribus in Castelleradensi synodo accusatus. Sed dicite nobis, Domini Ministri. An sacerdotes altari servientes in primitiua Ecclesia sic fuerunt vestiti? Habitum eorum videte, si placet, apud Sanctum Dionysium, tunicam scilicet puram Dominicæ passionis insignibus, & cruce in primis undiq; ornata; stolâ è c. llo, manipulū è manibus pendente, tum albam interulam ac reliqua, quæ ibi descripta sunt. De venturi Messia Ministris eorumque ornata Propheta Ezechiel vaticinatur, inquit, Deū sanctis eos vestibus vestituro, ut officium, coram ipso faciant. Et sanctus Clemens Apostolos nitida veste indutos, sacrificasse testatur, ut & ipsorum successores, ut supra ostendi. Sanctus vero Stephanus Papa ac martyr apertis verbis indicat, vestimenta quibus sacerdos utuntur, sacra esse, nec ad alium usum adhiberi debere. Quumque Judæi, ut Ivo Carnutenfis inquit, tanta reverentia ac maiestate divinum suum cultum peragant, quid nos facere in nostris decet ecclesijs, in quibus non umbra, sed ipsa veritas est (f) Sola certe ornamenta illa nescio quem respectum ac devotionē afferūt: eoq; omnes Christiani per totum Mundum dispersi, Græci, Æthiopes, (g) Syri, Armenij,

f Opr. l. 3 in fin. Orig. hom. 11 in c. 20. Len. g Vide Alvar. hist. Æthiop. cap. 12.

menij, omnesque Orientales atque Occidentales, numquam in sacrificijs suis aut ceteris diuini cultus partibus profano vestitu vti voluerunt. Soli Calvinistæ eodem quo in foro & vbiq; alias videntur habitu, sacra (si modo quidquam apud eos sacrum) tractare nō verentur. At profano ac comrauni habitu hic vtendum non esse, quum alij tum S. Hieronymus vos docet Vidi ego è Principibus nostris aliquem, nouæ religioni addictam, qui rēplum quod tam ingressus, eiusque munditiem ac ornamenta, vt & Episcopi actorius Cleri splendorem conspicatus, cum Ministro suo deinde expositulauit, sub vlmeto, vbi pila ludere pueri solebant, sine vilo ornatu aut ceremonijs sermones suos deblaterante.

V. I. Vidimus horrea vestra, domini Reformati, quæ ex vobis nonnulli cum paganis & Iudæis Tēpla appellant: videre vos nostras vicissim ecclesias. Sic enim à primis Christianis post S. Paulum nominatas fuisse, (h) ex Tertulliano S. Augustino, (i) Eusebio & Nicephoro discimus, qui eadem etiam Columbarum ædes appellant. Videbitis & difficia præcella, quorum frontispicium semper Orienti est obuersum. Et quia eadem Navi quam similima sunt, S. Clemente teste: (k) structuram eorum accuratius aliquanto vobis ostendam, vt tanto magis eius structuræ, cuius illa Noë Arca figuram representauit, cuiusque illa piscatoria S. Petri nauicula adhuc figuram gerit, fundamenta, firmitatem ac pulcritudinem admiremini. Vt enim Mundus mari; sic Ecclesia, fluctibus huius Mundi innataus, Navi comparatur. Magnum illud ac sinuosum atrium puppim representat; Chorus, proram. Malus turrim; antenna, Crucem. Et quemadmodum in Navi (de maioribus loquimur) vt & in Arca illa Noetica tres plerumque sunt contignationes; sic Ecclesia tribus constat ordinibus quorum primus idemque infimus est Coniugatorum, secundus Viduarum ac cœlibum, tertius Virginiū, reliquis excelssior. Navis in tres partes præcipuas secundum longitudinem diuiditur, proram, foros, & puppim; sic Ecclesia ex tribus his partibus, secundum Mundi ætatem distributis, composita est. Lege scilicet Natuæ, Synagoga Mosæica, & Euangelio. In Navi renatum est, in quo varia res ad alimentum pertinentes afferuntur: Ecclesia itidem diuersis alimentis instructa est, ac præcipue Sacramentis: inter quæ *Baptismus*, Aqua dulcis; *Corpus Domini*, Panis bis coctus est quibus in hoc Mundi Oceani circumnauigantes anime

nostræ aluntur ac sustentantur. Arma vero ac tela Ecclesiæ sunt, orationes, benedictiones, exorcismi, excommunicationes, aqua & panis benedictus, sacra reliquia, aliaque id genus, quibus non solum contra hostes nos defendimus, sed etiam vltro eosdem oppugnamus. Penu Ecclesiæ est *Sacristia*. Merces quibus hæc nauis onerata est, sunt *merita*, & *satisfactiones* Iesu Christi, *Deiparæ Virginis*, & *Sanctorum*, quibus, vbi per sacrificia, sacramenta & *Indulgentias* nostra facta fuerint, debita nostra peccatis nostris contracta, exsoluimus, meritisque per sacrificia & sacramenta applicatis, gratiam Dei in hac, & gloriam in altera vita vedimus ac mercamur. Navis rectores sūt diuersi Ecclesiæ *Officiarij* ac *Prælati* gubernator, *Papa* est seu *Pontifex Romanus*, qui in puppi, id est, *Apostolica Sede*, ad elauum sedet. Clauus vero vel gubernaculum est pedum siue baculus pastoralis. Et baculus quidem siue virga semper Iurisdictionis insigne fuit, etiam apud profanos. Inde non pastores solum pedis, sed & Reges sceptris, & magnates scipionibus, & augures lituis vsi sunt. Hoc baculo tamquã sceptro *Papa* nauim gubernat tumultuantes coerct, errantes reducit, ignaues excitat. Reliqui *Officiarij* sunt *Episcopi* & alij *Prælati*: inter quos *Confessarij* velut sentinam peccatorum exhauriunt. *Propheta* velut in specula constituti, non imminentes modo tempestates, sed & breuiâ, sirtes ac scopulos naufragijs infames, vt & piratas obseruant, vt que ab eis cauere nobis possimus, ostendunt. *Concionatores* vero mores hominum ac vitam ad diuini Verbi præscriptum, tamquam ad magneticam acum dirigunt, diuinam iram contra peccata nostra, minas pœnarum, ac iudicia Dei certissima annunciant, tum piratas eorumque conatus detegunt, & vt contra eosdẽ fortiter pugnemus exhortatur. *Anchora* huius Navis *Spes* est, quæ in Deo fundata, contra omnium hostiū impetus tutos nos præstat. Ecce tibi Nauim Catholicæ nostræ Ecclesiæ, ecce mysticam eiusdem structurâ. Tu sodes, hæretice, eodẽ modo horrea macella, bouū & equorū stabula, in quibus Verbum Dei, si dijs placet, prædicatis, nobis depinge.

VIII. Hæc vero Ecclesiæ merito Dei habitacula, sedes pietatis ac deuotionis domicilia dicuntur: in quarum medio apud primos Christianos, vt apud Lactantium legere est, loco ceteris eminentiori Crucis ac Crucifixi signa statuta sunt, ad quod in genua prostrati fideles, orationes suas ad Saluatorem

Cruci
h. t. Cor. 11. i. Adu. Val. 1. 2. k. lib. 2. Const. cap. 16. Lib.
6430.